

GABRIELIS PIROVANI PHILOSOPHI
EXCELLENTISSIMI DE ASTRONOMIAE
VERITATE OPVS ABSOLVTISSIMVM

i
N uestibulo sermonis: in quo dicta sparsim a strono-
morum obscura: uel prapostera in una quaq; parte
astronomiae aggregare: & coordinare proposueram
quo facilius cognitu doctrina eet: & obseruabilior:
magnitudine rerum obstupui: eoque res difficilius
uisa est: q; in me tenue fit ingenium: & sermo subti-
lis: & contradicentium tanta auctoritas dicendiq; copia: ut fru-
stra omne opus scribendi uel colligendi uideretur: nisi contradi-
centium rones de medio tollerent. Quo fit ut trepidus: anceps:
facinus uel temerariu cepisse uideri possim: & me ipsum (ut ue-
rum loquar) o fidelis Angele frequenter seuera obiurgatione re-
prehendi. Verum trepidationem meam hortatio fidelitatis ere-
xit: coegitq; ueritas aggredi: quod saepe ex diffidentia sermonis
deserui. Fauente ergo prima ueritate: quae uniformis omnium
bonorum e manatio: a qua ueritas: & quaecumq; perfectio: & om-
ne bonum: quibus res distinguntur: manant etia impartita: agre-
dior respodere huius qui totam uim astrorum sua auctoritate ac
disputationibus: uel potius imputationibus conantur euertere:
& (ut ita dixerim) diuinam hanc scientiam: & facile omnium na-
turalium primam: cum ad istam omnes aliae primi gradus certi-
tudinis scientiae coordinentur: putant se posse elati sermonis au-
ctoritate scientia & eloquentia perfringere uel suspendere: quos
sicuti ego iudico: & ueritas ipsa testatur: non falsitas doctrinae ad
hoc impulit: sed eorum partim: ut homines ad falsam religionem
conuersos: & ad naturalia solum intentos: ad ueri dei cultum euo-
carent: Christumq; unicum dei filium in plenitudine temporum
missum postea colerent: & adorarent: christianamq; religionem
ueram obseruarent: & ampliarent: persuaderentq; hominibus mo-
do non naturalibus scientiis: nec astrorum cognitione & obser-
uatione: sicut a principio ante legem conditam: uel uerbi incarna-
tionem opus fore: cum satis hominibus sua largitate deus natu-
ralia illa magnifica entia inspirasset: ut se mundi conditorem co-
gnoscerent: colerent: & amarent: cultumq; demonum fugerent:

ad respiciendum.

primi sapienter.